I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

*DE*

# LIBERTATE SIVE EXEMPTIONE A JURISDICTIONE PRINCIPIS ET DOMINI TERRITORIALIS ORDINARII,

QUAM

*AUXILIANTE DIVINA CLEMENTIA*

CONSENSU MAGNIFICI

JCTORUM ORDINIS,

IN INCLYTA UNIVERSITATE HASSIACA

GISSENSI,

PRO OBTINENDIS SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS

*MAGNIFICIS atq; EXCELLENTISSIMIS*

DNN. PROFESSORIBUS

VENTILANDAM PROPONIT.

CHRISTOPH. JACOB. PELLERUS,

NORIMBERGENSIS

*AD D.   DECEMBR. ANNO M. DCC III. H. L.C.*

GISSÆ HASS. EXCUD. JOH. REINH. VULPIUS, ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

# PRÆFATIO.

CUM in Academiis tantum non omnibus Jurium Candidati anxii eſſe ſoleant, ut argumentum aliquod non vulgare, & tamen uſu rerum ſe commendans, in publicam proferant Cathedram, idem accidiſſet mihi, niſi aliquoties, cum publici Juris Collegia frequentarem, ſubindè audiviſſem, inculcari diſtinctionem illam in illos qui ſunt in & de territorio, & alios, qui quidem in territorio ſed non de territorio ſunt. Fundamenta enim hujus diſtinctionis requirebam, an in publicis ſit fundata legi-

bus, quomodo ea evenerit, & quem habeat effectum. Feci igitur, quod per juvenilem, ut ſic dicam, ætatem licuit, in quo ſi aliorum, qui fortaſſis erunt plurimi, judiciis non fuerit ſatisfactum, non dubitabo apud æquos judices loco excuſationis valiturum, in magnis vel voluiſſe ſatis eſſe. Tu vero O Alme DEUS! quod nunc ago ſuſcipioque dirige pro indulgentiſſima voluntate tua, & perfice in Tui ſanctiſſimi Nominis gloriam publicæque rei incrementum.

Digitized by Google

# SUMMARIA.

## §. I.

*CÆſarini Furſtenerii ſententia de origine Ducum & Comitum in Germania expenditur.*

§. II. *Variæ ſpecies Rerumpublicarum in Imperio Romano-Germanico enumerantur, quas tandem ſequitur propoſiti explicatio.*

§. III. *Vocis Territorii Definitio, Etymologia & Homonymia.*

§. IV. *Definitio territorii concluſi & non concluſi.*

§. V. *Diſtinctionem hanc non ſolius Ordinis Equeſtris immediati* der freyen Reichs von Adel *gratia receptam eſſe contra Leyſerum variis evincitur exemplis.*

§. VI. *Origo hujus diſtinctionis exponitur & diverſum ſentientium opinio notatur.*

§. VII. *Ubi quæſtio, quid in dubio præſumendum ſit, diſtinctione ſolvitur.*

§. VIII. *Quædam ex territoriis concluſis recenſentur.*

§. IX. *Qui dicantur Landſaſſii, illorum definitio. Controverſia an etiam Status Imperii in alicujus territorio habitans, inter Landſaſſios numerari poſſit, diſtinctione deciditur.*

§. X. *Regula eſt: Quæcunq; inter territorii ſepta contin-*

*continentur, ea in iſtius Domini ditione poteſtate & jurisdictione eſſe præſumi- Vnde infertur illum, qui habet territorium univerſale, in omnes Landſaſſios & ſubditos, ut & in omnes in territorio exortas cauſarum ſpecies, civiles & criminales, reales & perſonales, judicii tam petitorii quam poſſeſſorii, fundatam habere intentionem, & per conſequens poſſeſſionem jurium ſeu Regalium in hujusmodi regionibus ab onere probandi non liberare, niſi doceatur titulus.*

§. XI. *An in Vxorem liberoſque Principis vel Comitis Domino regionis competat jurisdictio? Reſp. affirmando.*

§. XII. *In vernacula noſtra quoque differre* in eines Fürſten Land und Obrigkeit und unter eines Fürſten Land und Obrigkeit ſitzen/ *oſtenditur, variaque loca ex Aurea Bulla, Ordinatione Regiment. Auguſtan. VVormatienſ. ut & Inſtr. Pacis Oſnabrugenſ. adducuntur, in quibus diſtinctionis hujus mentio fit.*

§. XIII. *Exinde ſequitur, locum aliquem eſſe poſſe in territorio, non vero de territorio; pariaque cenſeri eſſe extra territorium & eſſe in territorio, ſed exemtum, ut & non ſubjici vel exemtum eſſe. Cui annectitur quæſtio, an hoc quoque ad prædia & fundos pertineat? quæ tamen in medio relinquitur.*

§. XIV. *In modis acquirendi Exemtionem, facta diſtinctione inter allodiales & feudales regiones, ut & modos originarios & derivativos, diſpicitur.*

§. XV. *De Occupatione bellica.*

§. XVI. *De Præſcriptione.*

§. XVII. *De*

Digitized by Google

§. XVII. *De Succeſſione teſtamentaria, legitima & pactitia.*

§. XIIX. *De Alienatione.*

§. XIX. *De Privilegiis Cæſareis. Origo Diſtinctionis inter* frepe Reichs-Städte *&* Reichs-Städte *tantum. Differentia inter Comitatum & Comitiam. Refellitur Andr. Knichen Superioritatem Territorialem Civitatum Imperialium oppugnans, & Noricis quondam in Camera Imperiali litem de territorio motam & deciſam fuiſſe ſtatuens.*

§. XX. *Effectus Exemtionis.*

§. XXI. *Cui conſequens eſt, exemtum jura Superioritatis territorialis exercere. Unde vero dijudicari poſſit, hæc vel illa Regalia ad Superioritatem territorialem pertinere, diſquiritur & examinatur vulgatum illud: Tantum poteſt Princeps &c.*

DIS-

# Dissertatio Juris Publici
## DE
## *Libertate ſive Exemtione à Iurisdictione Principis & Domini Territorialis Ordinarii.*

### § I.

QUanta ab antiquis temporibus Ducum & Comitum in Imperio noſtro & inprimis in Regno Francorum fuerit poteſtas, acriter diſceptari ſolet. Plerorumque Juris Publici Scriptorum vulgatiſſima eſt opinio, Duces illos & Comites initiò revera fuiſſe Magiſtratus, h. eſt ſuſpenſam ſeu dependentem à Regibus & Imperatoribus noſtris habuiſſe poteſtatem. At huic ſententiæ ex profeſſo ſeſe oppoſuit perſonatus quidam Autor Cæſarinus Furſtenerius *de Iure Suprematus ac Legationis Principum Germaniæ*, qui poſtquam *c. 14. 15. 16. 17.* complura per aliquot ſecula adduxiſſet exempla, tandem



Digitized by Google

dem in *c. 18.* ex narratione præcedenti reſumſit potiſſima, oſtendens: Principes pleroſque non ortos ex Magiſtratibus, ſed vetuſtiſſimis victarum gentium Regulis aut primariis Familiis ſubſtitutis in ejectorum locum eorum cognatis vel Principibus ipſis, ubi ſe ſubmiſerant Tributariis ac Vaſallis factis, nonnunquam & Principibus ex regia vel alioquin illuſtri Francorum ſtirpe genti impoſitis, agrisque inter Victores diviſis: varios Dynaſtas & territoriorum Dominos ortos. Et ſane nec ſpecie hæc ſententia deſtituitur, neque à vero abeſt, ſi primæ ſtirpis Regum Francorum, qui vulgò Merovingici à Meroveo Conditore dicuntur, præcipuè extrema inſpiciamus tempora. Nam, ne in Franciam Occidentalem jam evagemur, in Francia Orientali, h. e. Germaniâ noſtrâ, exempla habemus illuſtria poteſtatis Ducum ſolitò majoris, & vulgarem Magiſtratus ſortem longè excedentis. Sic ex Bajoariorum docemur LL. illis à Francorum Regibus indultum eſſe, ut quem ex Agilofingis (quæ gens ex Agilofo veteri quodam Bajoariorum Duce vel Rege orta) idoneum judicarent, deligerent. Hinc factum, quod Paulus Warnefridus *l. 3. de Geſtis Longobardorum. c. 10. & 31. l. 4. c. 7.* & poſt eum Aimoinus ut & Sigebertus Garibaldum & Taſſilonem, qui Bajoariorum Duces fuêre, Reges nuncupaverint. In ſupra allegatis LL. quoque legitur, ſi quis tentaverit Ducem è medio tollere, vel hoſtibus occaſionem dederit provinciam aut oppidum provinciæ invadendi, Duci licitum fuiſſe, convictum tam vitâ quam bonis privare. Epiſcopum à Rege conſtitutum vel apud Regem vel apud Ducem convenire receptum fuiſſe. Quod ſi Duci, qui neque cœcus neque ſurdus eſſet, qui-

que adhuc per vires corporis exercitui præeſſe & mandata Regis exſequi poterat, filius ex malitia Regnum. i.e. Ducatum ademerit, conſtitutum erat, ut non ſolum patris privaretur hæreditate, & nihil poſſideret, quam quod Rex aut Pater miſericordiâ ducti illi dederunt; ſed etiam ambobus facultas eſſet eum in exilium mittendi, ita ut ſi patrem ſupervixiſſet, ejus pars reliquis accreſceret fratribus; ſin vero ſolus, in arbitrio Regis poſitum eſſet, vel illi aut cuilibet alii conferre Ducatum. Quæ omnia ſanè quid aliud quàm poteſtatem ſolito majorem indicant. Quapropter adeo mirandum non eſſe puto, Taſſilonem Bajoariorum Ducem in harum gentium legibus & Diplomate apud Wolfg. Lazium *l. 7. de migrat. gent.* nomen Illuſtris, quod alias Carolus M. ſibi tribuebat, uſurpaſſe. Ex LL. Alamannicis conſtat, Ducem Alamannorum Dominum & Aulam Ducis Curtem Ducis ſeu Chortem eundem in modum ac Palatium Regis vocitari. Ducatum pertinere ad filium non rebellē, neque ulli præter illū, cui à Duce judicandi facultas erat conceſſa, jus reddere licuiſſe. Refert quoque Pithœus *in obſervationibus de Comitibus Palatinis*, Britannos magis domeſticis Regulis quam Francorum Regibus obedientiam præſtitiſſe. Declinante vero Domo Merovingica, cum Carolus, Major Domus, Francorum Principatum jure hæreditario ad ſe pertinentem repeteret, Duces in Francia idem ſibi licere putabant. Quam ob cauſam Eudoni Aquitanorum Duci filius & nepos alter poſt alterum ſucceſſerunt, & tum demum Præfecturæ non perpetuæ tantum ſed etiam hæreditariæ factæ & in Principatus converſæ ſunt. Nam jamdum antea Majores Domus ad dignitatem, modicè à ſubli-

li-

Digitized by Google

limitate regia differentem, ut Autor Vitæ Pipini circa tempora Dagoberti I. & filius hujus Dagoberti ait, aſcenderunt. Cauſæ hujus incrementi fuerunt potiſſimæ, quod illos crearent Optimates, interveniente licet approbatione & mandato Regis, prout Carolus Cangius *in Gloſſario ſub voce Major Domus*, aſſerit. Denique non parum contribuit, quod Clotharium, ſi fides habenda Aimoino *l. 4. c. 6.* Major Domus ſacramento obſtrinxerat, ne in vita ſua ſibi deligeret ſucceſſorem. Porro Reges ipſi vel ob ætatem huic muneri ſubeundo inidonei erant (conſtat enim omnes fermè Reges à Clodoveo II. Dagoberti filio uſque ad Childericum, partim pueros, partim adoleſcentes & per conſequens rebus gerendis impares fuiſſe) vel ob propriam malignam inclinationem aut defectum neceſſariæ educationis torpuêre. Licet autem evectô ad regium faſtigium Pipinô, Caroli M: Patre, unde ſecunda ſtirps Carolingica dicta, hujus imprimis auſpiciis Ducum illorum poteſtas fuerit fracta & compreſſa, ſublatis Ducatibus & in plures Comitatus diviſis, negari tamen nequit, circa extrema ſtirpis illius declinantis tempora Duces iterum emerſiſſe, & majorem ſibi comparaſſe poteſtatem. Cujus imprimis cauſæ erant non tantum diſſenſiones fatales inter poſteros Carolingicæ illius regiæ familiæ, ſed & invaſiones exterorum, maximè Hungarorum & Saracenorum, ſenſimque factum, cum poſtea regnatrices Saxonicæ & abhinc Franconicæ & Suevicæ ſtirpis domus deficerent, Pontifices quoq; Romani, qui ardentiſſima Cleri ſtudia tenebant, non unam ob cauſam à Regibus ſive Imperatoribus Germanicis diſſentirent, ut non tantum Duces & Comites, ſed & Epi-

ſcopi ac Abbates, Civitates quoque, quæ jam ſub Saxonicis Imperatoribus Regales aut Regales Fiſci dictæ fuêre, vel etiam Fiſcales, ad illam quam hodiè conſpicimus poteſtatem Regiæ Majeſtatis æmulam aſcenderent.

## §. II.

Utcunque ſit, illud ſanè certum eſt, primis temporibus ſub Ducibus fuiſſe Comites, quamquam & jam ab antiquiſſimis temporibus Comites fuerint, Duces ſupra ſe non habentes. Sic in Appendice Fedregarii *c. 78.* de temporibus Dagoberti legitur: *Exceptis Comitibus plurimis, qui Duces ſupra ſe non habebant.* In geſtis Dagoberti *l. 1. c. 36.* apud du Cheſne *Tom. 1. p. 583.* quoque eſt: *Decem Duces cum exercitibus miſſos præter Comites plurimos, qui Ducem ſupra ſe non habebant.* Quod poſteris temporibus magis invaluit, quando Comites Provinciales, Comites Palatini & Burrgravii, qui ambo Magiſtratus jura Regum vel Imperatorū in Regionibus reliqua tuebantur, fuere conſtituti. Enimvero inter tot turbas, quæ Imperium noſtrum exercuêre, non potuit non fieri, ut diverſa admodum facies regionum in Imperio noſtro exiſteret, dum nimirū in univerſum aliæ ſunt Regulares, aliæ Irregulares, & illas quidem vel Singuli regunt, vel pauci Optimates, vel univerſa multitudo; unde ſunt Principatus & Comitatus nec non Epiſcopatus, Abbatiæ inſtar Regnorū, Ariſtocratiæ, Politiæ varii generis. Ad Irregulares autem pertinent Reſpublicæ Heriles, Condominatus, Mixtæ Reſpublicæ, Coalitæ Reſpublicæ, Sub uno capite junctæ, Syſtemata, Reſpublicæ Feudales, Clientelares, Servientes

aut

aut Interregna. De quibus ſpeciebus quoniam ex profeſſo actum à Magnif. D. Hertio *in Diſſertatione de Specialibus Rom. Germanici Imperii Rebuspublicis, Earumque diverſis nominibus & figuris, Sectione ſecunda per totam*, nolo nunc plura addere, niſi hoc, regiones etiam quasdam cohærere, quasdam vero interjectu aliarum ditionum ſciſſas eſſe. Unde Diviſio in Imperio noſtro non ignora eſt territoriorum in Concluſa vulgo **geſchloſſene** & non Concluſa vulgo **ungeſchloſſene oder vermengte Landſchafften.** Ex quo ulterius profluxit Diſtinctio itidem in Imperio noſtro vulgatiſſima, illorum qui habitant in territoriis, ut ſint vel in territorio tantum vel ſimul de territorio. De quo argumento propoſitum nunc nobis eſt paulò prolixius diſquirere.

## §. III.

Ante omnia igitur hîc videndum eſt, quid per Territorium & quid per Concluſum aut non Concluſum intelligatur. Territorium unde dicatur, jam non morabimur, placet enim, quod Pomponius JCtus, dixit *in l. pupillus 239. §. 8. de V. S.* ait: *Territorium eſt univerſitas agrorum intra fines cujusque civitatis.* ( h. e. municipii ) *Quod ab eo dictum quidam ajunt, quod Magiſtratus ejus loci intra eos fines terrendi*, i. e. *ſubmovendi jus habeat.* In qua ſignificatione à Germanis appellatur **Weichbild.** & apud Romanos Synonymon erat Regio, nam Auctore Siculo Flacco *de conditionibus agrorum*, Romani Regiones dicebant, intra quarum fines ſingularum coloniarum aut municipiorum Magiſtratibus jus dicendi coërcendique

que libera erat poteſtas, id quod ad Principes, Abbates vel Comites aut etiam Civitates Imperiales, licet longe majore in regionibus ſuis gaudeant poteſtate, applicari poteſt & ſolet.

§. IV.

Concluſum dicitur territorium, in quo unus regionis Dominus ſalva Imperatoris & Imperii poteſtate Superioritatem territorialem ejusque annexa jura exercet. Econtrariò territorium non concluſum eſt, in quo perſonæ, loca & prædia libera & exemta à ſuperioritate territoriali regionis Domini ſunt. Quidam aliter hanc diſtinctionem efferunt, ut nimirum alia ſint territoria, in quibus viget Landſasſiatus, alia in quibus Landſasſiatus non obtinet, ut cum Magero *de Advocatia armata c. 6. n. 671. & ſeqq.* tradit Wilhelmus Leyſerus Profeſſor quondam Wittenbergenſis. *de Landſaſſiis, Schrifftſaſſiis & Ambtſaſſiis* §. *23.* apud Fritſchium *Part. 1. Exercitationum Juris Publici.*

§. V.

Quod vero jam allegatus Leyſerus ſolius Equeſtris Ordinis immediati, **der freyen Reichs von Adel**/ gratia receptam videri ait hanc diſtinctionem, admittendum nobis non videtur. Equidem verum eſt, quod tradit, Nobilium illorũ caſtra in territoriis Principum ſita eſſe, neque tamen à Principibus iſta dependere, ſed ſeparata quodammodo à Provincia territoria conſtituere. Atque tales provincias,

Digitized by Google

cias, in quibus territoria non concluſa ſunt, Sueviam, Franconiam, Rhenanam Wetteraviamque vulgò recenſeri. vid. Becker. *l. 3. Juris Publici c. 4. n. 17.* Quibus fortè non malè Alſatia antehac addi potuit, ſi ſpectemus Privilegia Matthiæ & Ferdinandi II. Imperatorum felicisſimæ memoriæ Alſaticæ conceſſa Nobilitati, quæ exhibentur apud Limn. *Tom. 1. Addit. ad lib. 6. Juris Publici c. 3. n. 71.* Addatur Pacificatio Monaſterienſis inter Imperatorem ac Regem Galliæ *anno 1648.* inita in Inſtrumento illius Pacis §. 4. *teneatur Rex Chriſtianiſſimus.* Quod tamen hodiè aliter ſe habere ex Inſtrumento Pacis Ryſvvicenſis ſatis conſtat. Enimvero inde non ſequitur hancce diſtinctionem tantum pertinere ad Nobiles, nihil enim vetat, poſſe etiam Comitem aut Civitatem Imperialem alterius Domini territorio quaſi circino quodam includi, & tamen exemtam eſſe. Sic Henricus Bruningius *de variis Vniverſitatum ſpeciebus eorumque juribus* §. 36. obſervavit, in aliquo territorio poſſe eſſe Monaſteria, Eccleſias, Caſtra &c. quæ in aliorum poſſesſione ſint. Sic Comites, Barones, Nobiles & Civitates plurimas in alterius diſtrictu ſuas peculiares habere ditiones, cum Gailio *de Arreſtis c. 6. n. 1. verſu, ſed quæſtio iſta,* & Mynſingero *Reſp. 16. n. 45.* rectè cenſetur. Ita etiam Auctor *in Notis ad Documenta Rediviva Monaſteriorum præcipuorum in Ducatu VVürtembergico Tom. I. p. 211.* notavit: Epiſcopum Ratisbonenſem & Abbatem S. Emmerani ut & Abbatem Yſnenſem in territorio, imo in ipſa civitate Ratisbonenſi & Yſna eſſe, nec tamen de eorundem exiſtere territorio. Sic quoque Auguſtiſſimi Cameralis Judicii Aſſeſſores, licet fixas Spiræ ſedes habe-

rent,

Digitized by Google

rent, non tamen juriſdictioni ejus ſubjectos fuiſſe, pluribus quondam demonſtravit Denaiſius peculiari libro, cujus titulus eſt: *Aſſertio Juris Cameralis.* Liquet ergo ex his, diſtinctionem hancce longè latius quam ad Nobilitatem Imperii immediatam ſe extendere.

## §. VI.

Jam videamus de Origine hujus diſtinctionis. Ubi quantum attinet Nobilitatem Imperii liberam, placent quæ Chriſtophorus Beſoldus *de Ordine Equeſtri in Imperio Romano diſſeruit* §. 6. *& ſeqq.* Hiſtorica, inquit, hic „ ſed non inelegans dubitatio inſurgit; Unde & qua occaſione Suevica atque Franconica unâ cum Rhenanâ „ Wederavicâque Nobilitate hanc ſuam obtineant libertatem: ſeu cur iis tantummodo in locis Ordo Equeſtris „ immediatè ſubſit Imperatori, alibi vero Principes & „ Dominos territoriorum ita agnoſcat, ut loco ſubditorum planè plenèque habeatur. Sane iis adſtipulari non „ poſſum, qui cenſent, omnes olim Nobiles omnium in „ Germania locorum Imperatorem immediatè non Principes aliosque Magnates pro Domino Superioreque recognoviſſe. Ac quoque memoria noſtrorum patrum, „ turbulenti quidam novatores, quorum caput Guilhelmus Grumbachius erat, id moliebantur, ut Equeſtris „ Ordo univerſus, excuſſo Principum imperio, in libertatem vindicaretur, ſolique ſubjiceretur Imperatori, ut „ teſtatur Aug. Thuanus *hiſt. ſui temp. lib. 39.* Sed ut „ hoc caruit ſucceſſu, ita etiam (meo quidem judicio) „ factum fuiſſet noviſſimo exemplo. Quippe nam omnes

omnes olim Nobiles Principibus ſuis paruiſſe veroſimile „ mihi eſt. Fuerunt etenim, ut jam deduxi ſupra *n. 4*„ nil olim niſi homines ex ingenuis præcipui, Epiſcopo-„ rum, Ducum &c. Miniſteriales, & ita inferiores vaſal-„ li, & etiam quondam à Rege, Duces, Marchiones, Co-„ mites, Capitanei, majoresve Valvaſores: à Capitaneis „ vero ſimilibusve à Principe inveſtitis, Valvaſores mino-„ res, ab his minimi ſeu Valvaſini inveſtiebantur. Quod „ paſſim jus feudale prodit: *& præſertim titul. quis dica-„ tur Dux &c. lib. 2. Feud. ubi Gothofred.* Certe Duces, „ Marchiones, Comites &c. non ſolum ſervis, libertinæ-„ que conditionis hominibus ac Burgariis; ſed quoque „ Nobilibus, ſuisque Vaſallis jugiter imperitarunt. Et ſic „ quoque Suevia Ducibus, dum iſti fuerunt, dum Suevi-„ cus Ducatus, unius corporis nomen mereretur; Nobi-„ les pariter (Ducibus illis) fuiſſe ſubjectos, planè habeo „ perſuaſum. At vero incluto illo Ducatu, Penthei in-„ ſtar, in plurima diſcerpto membra; Ducatus ipſe, unâ „ cum ordine Equeſtri, Imperio acceſſit, nec ulli alteri po-„ ſtea, ex integro datus fuit (quamvis ejusdem titulum, ad „ filium ſuum tranſtulerit Rudolphus Habspurgenſis) ex „ eoque Suevica Nobilitas, libertatem & immediatam il-„ lam ſubjectionem acquiſiviſſe videtur. Sueviæ quidem „ Ducatum ab Henrico IV. Friderico Hohenſtauffenſi „ conceſſum; rurſus à Friderico II. Imperatore, imperio „ unitum fuiſſe, ſunt qui dicant: ideoque Cunradino, Ul-„ timo Sueviæ Dynaſtæ, circa Annum 1262. cum titulum „ Sueviæ Ducis uſurpaſſet, contradictum fuiſſe ajunt. vi-„ deatur Dn. Cruſius *in Annal. Suevic. part. 3. lib. 1. cap. 2.„ fol. 7.* Quò fortaſſis alludit Richardus Anglus, Rex, „

 „ Ro-

„Romanorum, in diplomate, quo Tigurinos contr
„ Cunradinum defendit, cum (referente eodem Cruſio
„*part. 3. lib. 3. c. 15. fol. 103.*) ita reſcribit: Fideli relatio-
„ne pervenit ad Serenitatis noſtræ auditum; Quod Cun-
„radinus, olim Cunradi Regis filius, *qui ſe Ducem Sueviæ*
„*nominet*: eâ non contentus injuriâ, *quod invanum ſibi*
„*gloriam alienam uſurpat*, inſuper etiam in Cives noſtros
„Thuricenſes, in noſtro & Imperii noſtri gremio ſpeciali
„collocatos; nec ad Ducatum eundem, ſed ad Imperium
„(prout ſtabilivit antiquitas, & modernitas adprobavit)
„immediatè ſpectantes, tanquam ſubeſſent memorato
„Ducatui, proſcriptionis de facto, cum nullo penitus
„jure poſſet, ſententiam promulgavit &c. Aſt hoc
„aliis vix veroſimile videtur; Fridericum II. Principem
„prudentem, patrimonium ſuum, cum liberis non ca-
„reret, Imperio reddidiſſe. Cum præſertim conſtet,
„filios ac nepotes ejusdem, illo titulo fuiſſe uſos. Inſu-
„per Suevia Nobiles Ducibus olim illis paruiſſe; argu-
„mento etiam mihi ſunt Judicia Provincialia, die Land-
„Gericht im Schwaben; Sueviæ quondam Ducum, poſt
„ad imperium translata, ab eoque Auſtriacis oppigno-
„rata: quæ antiquam illam ſubjectionem ex parte redo-
„lere videntur. Quin & Civitates nonnullæ, liberæ
„nunc, Sueviæ olim Ducibus parebant; & ita Auguſta-
„ni, libertatem ſuam à Cunradino habent, Cruſius *part. 3.*
„*lib. 2. cap. 27. fol. 111.* Sic ergo Equeſtris Suevicus ordo,
„Anno 1269. ad Imperium pervenit: quo unâ cum Cun-
„radino, Illuſtriſſimum Sueviæ Ducum genus; & poten-
„tiſſimus item Ducatus, ſiniſtro ſimul unâ corruerunt
„fato. Franconiæ Nobilitatem parili planè adſcribo oc-
caſio-

caſioni. Franconia namque olim habuit Duces, quo-„
rum ſimiliter jus Imperio adcrevit. Licet quippe Bru-„
ſchius in tr. *de Epiſcopatibus* ſcribat: jam *Anno 749.* à„
Pipino & Carolo Magno, Epiſcopatui Würtzebur-„
genſi, ſive Herbipolitano (Wurtz enim herba eſt) Ori-„
entalis Franconiæ Ducatum fuiſſe adnexum; & hinc„
quoties Epiſcopus Herbipolenſis ad aram ſacra facit,„
ſemper gladium nudum juxta ſe poſitum habere: quo„
Oſtro-Franciæ Ducatus, ad plenum jus vitæ necisque„
innuatur. Inde etiam Epiſcopi Sigillo ſeculari inciſum„
eſſe „

*Herbipolis ſola judicat enſe & ſtolâ.* „

Attamen poſt Carolum Magnum, Franconiæ ſeculares„
fuiſſe Duces, nemo niſi qui hiſtorias neſcire poteſt,„
Nec unquam plenarium Franconici Ducatus jus; ſed,„
(ut ad Auſtriacos Sueviæ) nomen & inſcriptionem tan-„
tummodo Ducis perveniſſe, probabile omnino eſt.„
Quin & Brandenburgici Marchiones, Epiſcopos„
Würtzeburgicos, Duces Franconiæ non ſalutant: & ut„
hoc jus interpellaretur. Godefridus quoque ex Pincer-„
narum de Limburg generoſiſſima familia in publicis lit-„
teris ſeſe Francorum Ducem ſcripſit Monetisque expri-„
mi curavit. Memoriæ etiam proditum invenimus, Du-„
catum Franconiæ, Epiſcopo Herbipolitano, ab Henri-„
co IV. Imperat. ademptum, & Cunrado Hohenſtauf-„
fenſi, ſororis ſuæ filio fuiſſe commiſſum, Cruſius *part. 2.*„
*lib. 9. c. 6. fol. 322. & cap. 10. fol. 334.* Sicque Cunradus„
Barbaroſſæ frater; Ducem Sueviæ, Franconiæ, & Pa-„
latinum Rheni ſemet nominavit. Sic & de Barbaroſſæ„
filio Guntherus *lib. 1. Ligurini* „

„ ——— *Francona rura*
„ *Herbipolinque regis* ———

„ Licet quidam dicant, ipſos Sueviæ Duces, Franconiam
„ Epiſcopo reſtituiſſe. Cruſius *part. 2. lib. 9. c. 14. fol.*
„ *352.* & *lib. 2. c. 6. fol. 454.* Tractus tandem Rhenanus
„ præter Sueviæ Duces nullos alios certos Dominos, qui
„ concluſum ( quod vocant ) habuerint territorium,
„ agnoviſſe videtur. Et ibi Sereniſſimi Palatini Electo-
„ ris dominatus, ex variis contractibus, hæreditatibus-
„ que ſuccrevit: quod Freherus *in Originibus*, non uno
„ loco, docet. Viciſſim in utraque Bavariâ, Saxoniâ aliis-
„ que in locis, ubi ex familiis priſcis ſucceſſores ſuperſunt;
„ ibi ſemper & ad hoc usque tempus Nobiles mediatè Im-
„ perio ſubjecti fuerunt. Equidem opinioni huic vulgatæ ſe oppoſuit Jureconſultus longe Celeberrimus Dn. Henricus Coccejus *in Juris publici Prudentia c. 25. §. 5.* ſed argumenta ejus parvi roboris eſſe accuratius examinanti facilè liquebit. Cæterum quantum attinet alios Regionum Dominos Hiſtoria docere poteſt, eos, cum Superioritas territorialis nondum invaluiſſet, aut ad eum gradum, in quo hodiè conſpicitur, perveniſſet, vel Imperiali dono, vel privilegio, vel quæ inſtar privilegii eſt præſcriptione ſc. immemoriali libertatem ſive Exemtionem obtinuiſſe. Ita v. g. Comites jamdum in libertatem ſunt evecti, quando Carolus M. Duces penitus ſubmovit, at quando poſtea Ducatus iterum introducti fuerunt, Comites in his Comitatibus agentes haud dubiè ſubfuere Ducibus, hinc apud Helmoldum legimus *lib. 1. Sclavicorum c. 74.* loquentem de Saxoniâ: *In hac terra ſolam Ducis atten-*

*attendi auctoritatem*, & Fridericus II. in Privilegio Auſtriæ Duci dato conceſſit eidem Illuſtri Duci Principi Auſtriæ, *ut nullus ſuorum feudalum aut ſuorum terrarum inhabitantium vel poſſidentium nulli alteri aliquid juris obediat*, ut verba ipſius privilegii ſonant apud Limnæum *de J.P.l.5. c.2.n.30.* ex Cuſpiniani Auſtria *p.34. ſub fin.* & alios, quæ ita extulit Carolus V: **Sie ſollen auch haben alle Vogtheyen und Vogtrecht in Biſthumben / Abteyen / Probſteyen / Klöſtern / Gotteshäuſern und Kirchen an Leuten und Gütern die in ihren Herrſchafften und Landen oder anderswo gelegen ſind / deren Erbvogt Sie ſeyn und zu Recht ſeyn ſollen.** Sic & Landgravio Thuringiæ jam Seculo XIV. Comites Thuringici ſe ſubjecerunt, nam in Reverſalibus literis *Anno 1248.* quas Henrico Landgravio dederunt apud Anton. Weckium *in Part. 2.* **der Beſchreibung und Vorſtellung der Stadt Dreßden**/ apertè profeſſi ſunt, ſe ipſum Henricum pro vero Domino agnoſcere, idque bona fide & ſine fraude inviolabiliter obſervaturos, Henrico & filiis ejus promiſiſſe, Præſtito ſuper hoc corporalitèr juramento. Porrò ſub Francis Duces aut etiam Comites imperio ſuo ſubjectas babebant civitates, at jam ſub Saxonicis Imperatoribus diſtinctio Civitatum in Regales, quæ ab Imperio Ducum & Comitum erant exemtæ, & Præfectorias, invaluit, prout Chartæ apud du Freſne *in Gloſſar. voce Præfectoriæ Civitates*, ſatis confirmare poſſunt.

## §. VII.

Hujus quoque loci eſt quæſtio non minus inſignis, quidnam in dubio præſumatur? Zacharias Victor *in libello*

*bello de Exemtionibus Imperii concl. 27.* putat: Pro territoriis non concluſis præſumendum eſſe, quoniam res omnis libera à primævo ſtatu & jure eſſe cenſeatur. Deindè quia Principis ſummi h. e. Imperatoris jurisdictio in omnes fundata ſit, in inferioris verò Domini diſtrictu facilè locus exemtus eſſe queat, qui conſtituat territorium per ſe ac ſeparatum. Præterea certo certius eſſe, diverſa eſſe territoria, quæ fines limitesque habent diverſos. In eandem ſententiam etiam diſſeruit Bruningius *de Vniverſitatibus earumque variis ſpeciebus concl. 36.* Alii contrarium exiſtimant, quia præſumtio ſit pro territorio ejusque univerſali vi, in partes ejus omnes ſe extendente. Mihi hac in re difficile videtur aliquid generaliter in alterutram partem pronunciare. Exiſtimo tamen, quantum attinet Comites, quorum aliqui ſunt Principum numero, ut & Civitates Imperiales præſumtionem habere pro ſe, quod non ſint territorio ſubjecti, quoniam jam ab antiquiſſimis temporibus Comites fuerunt ſine Ducibus & Civitates liberæ, quæ propterea Regales appellatæ, ut ſupra diximus. At vero ratione Nobilium aut etiam Monaſteriorum in aliquo territorio exiſtentium arbitror, territorii Dominum quoad ipſos fundatam habere intentionem, certum enim eſt, Nobiles ut & Monaſteria olim quoque ſubfuiſſe Ducibus & Comitibus. Quod alio loco fuſius explicari ſolet.

## §. VIII.

Si quis nunc ſpeciatim ſibi exponi deſideret, quænam

Digitized by Google

nam in Imperio noſtro territoria ſint concluſa vel non concluſa. Reſpondemus ad illa vulgò referri ſolere Archi Ducatum Auſtriæ, Marchiam, Ducatum Brunſvvicenſem, vid. Limn. *l.6.ſ?. P. c. 4. n. 3.* Pomeraniam, vid. Matthias Stephani de Jurisdictione *l. 2. part. I. c. 7. membr. 2. n. 130.* Bavariam, Beckerum *in Synopſi ?. P. c. 4. n. 17.* & omnes reliquas, quæ non ſunt exceptæ, ut docet Leyſerus *dicta ſupra Diſſertatione de Landſaſſiis, Schrifftſaſſiis & Ambtſaſſiis §. 28. juncto §. 23.* quod quomodo intelligi debeat, ex illis, quæ *in §. præcedenti* diximus, explicandum eſt.

## §. IX.

Cæterum qui in territoriis clauſis habitant Landſaſſii appellari ſolent, quæ vox uſurpatur tantum de eminentioribus regionis alicujus ſubditis, puta Nobilibus aut etiam interdum Comitibus. Eſt autem Landſaſſius ſecundum Wehnerum *in obſervationibus Practicis voce* Landſaſſercy & Reinkingium *lib. 1. claſſe 5. c. 1. n. 82. homo jurisdictionalis, cui in omnibus præcipi poteſt ac mandari à Domino regionis ſive territorii, modo ſimul etiam poteſtatem Imperatoris ac Imperii exceptam eſſe hic ſubintelligamus.* Quo loco inſignis eſt controverſia, an etiam Status Imperii in alicujus territorio habitantes inter Landſasſios poſſint numerari? Fuit ea res quondam valdè controverſa inter Duces Bavariæ & Comites Ortenburgenſes, de quo videantur plura, quæ in Compendio ex Actis Publicis memoravit Generoſus Dn. Imhofius *lib. 6. Notitiæ Imperii Procerum c. 2. in fine.* Ubi in univerſum ita exiſtima-

Digitized by Google

exiſtimamus, diſtinguendum eſſe, an tales novè dignitatem Status ſint adepti, an vero jam olim ejus compotes fuerint. Nam illi haud dubiè regionis Domino, cui ſuberant, dignitate recens acquiſitâ detrimentum afferre non potuerunt, ut adeo in illorum perſonas & res Superioritas territorialis maneat fundata. Quam in rem notabilis eſt Conſtitutio *in Receſſu Imperii Auguſtano Anno 1548. §. 66.* Wiewohl auch in der Ringerungs Handlung bedacht/ daß die Graffen und Herren / ſo fürtzlich ihre Dignitäten erlanget/ ſollten in recognitionem præeminentiæ, ſo Sie von Uns und unſern freundlichen lieben Bruder den Römiſchen König empfangen / leidenlicher maſſen auch in die Anſchläge des Reichs gezogen werden: So haben wir doch dagegen erwogen/ daß ſolche Graffen und Herrn zu mehrern Theil unter ihren beſondern Landesfürſten geſeſſen / vormals von allen ihren Gütern denſelbigen gedienet / ſich auch zum theil auff der Fürſten Eigenthumb und ihre Pfandſchafften / Graffen oder Freyen laſſen/ und alſo gar keine Güter ohne Mittel unter dem Reich haben/ auch nicht anders dann mit ausdrücklichen Vorbehalt der Fürſten Gerechtigkeit zu denen Dignitäten zugelaſſen ſeyn/ *& in Capitulat.* Leopold. *art. 44.* ubi ſtatuitur, daß eines oder deß andern unter Churfürſten oder Ständen geſeſſene oder begüterte zu höhern Stands-Erhebung den juri territoriali nicht nachtheilig ſeyn / und die ihnen zugehörige und in ſolchen Landen gelegene Güter einen oder den andern Weg unter voriger Landesfürſtlichen Jurisdiction verbleiben ſollen/ quod repetitum in *Capitul. Joſephina* §. 43. *in fine.* At hos quod attinet, Jura antiqua ii retinuiſſe cenſentur, & proinde alterratio ſtatus non præſumitur, quanquam ſuperioritati, quæ in bonis territorii incluſis radicata eſt, ſub-

ſubtrahere ſe haud poſſint, ab iisdem etiam homagium juſtè exigatur conſuetudine id probante, de qua teſtantur Ritterus *de Homagio* §. *101.* addatur Manzius *in Deciſionibus Palatinis quæſt. 19. n. 3. & ſeqq.* Zieglerus *l. 2. de Juribus Majeſtatis c. 2.* §. *63. & ſeqq.* niſi quod conſuetudine receptum tradat Dn. Rhetius *ad 1. Feud. 1. pag. 159. & ſeqq.* talibus integrum eſſe ſubjectionis miniſteria per alios obire & titulis ſive vocabulis **ihrer Erb- und Oberherren** vel **Unterthanen** & **Landſaſſen** abſtinere.

## §. X.

Ex his jam ſequitur in territoriis hujusmodi obtinere regulam: Quæcunque intra territorii ſepta continentur, ea in iſtius Domini patrimonio, poteſtate & jurisdictione eſſe præſumi. Cujus eſt diſtrictus & territorium *Can. omnes Baſilicæ c. 16. quæſt. 7.* Maſcardus *de Probationibus concl. 217. n. 1.* Victor *de Exemtione concl. 27. ibique citati.* Henricus Bruningius *de Variis Univerſitatem Speciebus concl. 36.* planè ut omnis Eccleſia ſita inter fines Diœceſeos præſumitur ſubjecta per textum expreſſum *in c. conſtitutus X. de religioſis Domibus.* Joſephus Maſcardus *de Probationibus concl. 515. n. 20.* cui porro conſequens, illos quibus territorium competit univerſale in omnes Landſaſſios & ſubditos, inque omnes iſto in territorio exortas cauſarum ſpecies; civiles & criminales, reales & perſonales, judicii tam petitorii quam poſſeſſorii, fundatam habere intentionem. vid. Ziegl. *in Concluſionibus ad* §. *Landſaſſii. n. 22.* Knichen. *de ſuperioritate territoriali c. 5. n. 95.* Beſold. *Conſil. 238. per totum.* Reinking. *lib. 1. de Regimine Secula-*

*Seculari & Eccleſiaſtico. claſſe 5. c. 1. num. 22.* Denique & hoc inde inferimus, rectè poſſeſſionem jurium ſive Regalium in hujusmodi regionibus ab onere probandi non liberare, niſi titulus ſive titulata poſſeſſio, ut Dd. eam appellant, doceatur, quandoquidem libertas à territoriali ſubjectione niſi à Domino regionis haberi non poteſt; in illis autem, quæ aliunde quam à Domino regionis haberi nequeunt, præſumitur libertatis poſſeſſio vel quaſi tam diu precario inducta, donec doceatur titulus, ut poſt Matthiam Stephani praxi convenienter docet Strauchius noſter *lib. 1. Speciminis I. P. tit. 29. §. 2.* conferatur Mevius *Part. 1. Deciſ. 44. num. 6. Part. 3. Deciſ. 205.* Klockius *in Tractatu de Contributionibus c. 20.*

## §. XI.

A regula tamen in præcedenti §. propoſita non pauci in Principatibus profanis & Comitatibus excipiunt uxores & liberos Principis vel Comitis, quaſi in tales Domino regionis nulla competat juriſdictio. Mylerus *de Principibus & Statibus Imperii c. 34. §. 4. & ſeqq. c. 35. §. 4. & ſeqq.* & *in Gamologia c. 7. §. 22. & c. 22. §. 9. & ſeqq.* Strauchius *lib. 1. Speciminis Juris Publici. tit. 34. §. 2.* Qui rationibus hiſce utuntur, quia Uxor per conjugium non ſerva ſed ſocia ſit facta; deinde Uxor Principis non minus ſit perſona Imperii immediata, pariterque quoque ut filii illuſtres Patri in dignitate ſint pares, ſeyen gleich Fürſten-mäſſig / maximè cum hi non ultimo defuncto ſed primo acquirenti ſuccedant. Mihi vero hæ rationes parum concludere videntur, nam Uxor ſocia quidem eſt, ſed cum præeminentia mariti. Deinde ſocietas illa cum publicis rebus

Digitized by Google

rebus nihil habet commune, nam aliud eſt Princeps quà Princeps, ſive qua regionis Dominus, & aliud quà Paterfamilias. Ad hoc cum Uxor liberique Principum & Comitum Superioritatis territorialis non ſint compotes, domicilium autem ſive habitatio in regione ſubditum faciat non intelligitur, qua ratione ſint exemti. Sanè in Regnis uxores liberoſque Regibus ſubeſſe negari nequit, & fatetur ipſe Betſius *de Pactis Familiarum Illuſtrium c. 8.* & de Auguſta Imperatoris Conjuge largitur Dn. Schilterus *lib. 1. Inſtit. I. P. tit. 16. §. 3.* Reliqua argumenta confutavit. Magnif. Dn. Hertius *de Subjectione territoriali §. 6.* & Feltmannus *in Comment. ad l. 10. ff. de jurisdictione §. 16. 17. & 18.*

§. XII.

Econtrario in territoriis non concluſis habitantes dicuntur quidem eſſe in territorio ſed non de territorio. Planè ut loca exemta eſſe poſſunt in dioeceſi, nec tamen de dioeceſi *c. ſi propter 10. de Reſcriptis in 6.* Gylmannus *in Symphorematibus part. 2. tit. 6. voto. 6. num. 73.* Andr. Knichen. *de jure territorii c. 4. num. 26.* Victor. *de Exemtione concl. 27.* Hinc differunt etiam in vernacula noſtra **in eines Fürſten Land und Obrigkeit und unter eines Fürſten Land und Obrigkeit ſitzen.** Diſtinctionis hujus mentio jam habetur in *Aurea Bulla Caroli IV. c. 15. §. 2.* ubi Dn. Schilterus *in Notis* addit: *Hinc colligere eſt, diſtinctionem inter hos qui ſunt de territorio & in territorio fundatam eſſe in hac lege Aurea Bullæ.* Eadem eſt diſtinctio in *Ordinat. Regiment. Auguſtan. de anno 1500.* **§. der andere Crayß begreifft:** ibi: **Fürſten / Landgrafen / Prælaten / Graffen / Herrn / Frey- und Reichs-Städte unter**



**und**

und bey ihnen geſeſſen und gelegen. & *Ordinat. Regiment. Wormatienſ. de anno 1521.* §. Der ander Stückel. Clariſſimè autem omnium ea habetur diſtinctio *in Inſtrument. Pacis Oſnabrugenſ. art. 5. §. 24.* ibi: *aut quod non de vel in territorio Auguſtanæ Confeſſionis Statuum.* addatur *Capitulat. Leopoldi art. 8.* Zieglerus *in Comment. Concluſ. ad Praxin Calvoli Concl. 1. §. Landſaſſii num. 30. & ſeqq.* Ertel *in Theatro Superioritatis Territorialis Apparat. 2. Fundament. 2.* Knichen. *de Jure Territoriali. c. 4. num. 55.* Tenzelius *de jure ſubjectionis c. 3. §. 91. in Exercitationibus J. P. Fritſchianis part. 2.*

## §. XIII.

Unde ſequitur locum aliquem poſſe eſſe in territorio non vero de territorio Principis. Et hoc caſu paria cenſeri eſſe extra territorium & eſſe in territorio ſed exemtum; paria non ſubjici vel exemtum eſſe. Ludolphus Schrader *de Feudis ſecunda parte nonæ partis Pr. ſect. 3. n. 157.* Thomas Michael *de jurisdictione concluſ. 60. lit. a.* Tenzel. *de jure ſubjectionis c. 2. §. 91. apud Fritſchium Vol. 2. Exercitat. J. P.* Hoc loco inſignis ſe offert quæſtio, utrum id ad prædia etiam & fundos pertineat? quód nuper contra Nobilitatem Imperii immediatam negavit Dn. Schilterus *in Diatriba de S. R. G. Imperii Comitum Prærogativâ ac jure inter ipſos, & Ordinem Equeſtrem Imperii immediatum ſecundum quosdam controverſa*, cui peculiare ſubjunctum eſt Conſilium. Et quidem illud certum eſt, ad fundos noviter acquiſitos id non pertinere, licet hi Matriculæ Nobilitatis Imperii inſerti reperiantur. Gravior eſt diſquiſitio de prædiis ſive fundis jam ab antiquo ad Nobili-

tatem

tatem Imperii pertinentibus, quoniam Nobiles contendunt jus ſibi eſſe quæſitum. Econtrariò alii Regionum Domini interque hos Comites abſurdum putant, in prædiis aut agellis territorio alterius Domini circumdatis Superioritatem ſtatuere, præſertim ſi nulli ſubditi ea prædia inhabitent. Lis ea eſt adhuc ſub judice, tutius igitur erit, ut ab ejus definitione abſtineamus.

§. XIV.

Acquiritur hæc exemtio variis modis, quibus & ipſa Superioritas Territorialis comparari poteſt. Ante omnia hîc diſtinguendum inter regiones allodiales & feudales. In illis conferri poteſt Exemtio iisdem titulis, quibus aliæ res noſtræ transferri poſſunt. Neque vero neceſſarium eſt adhuc Regalia à Cæſare conferri, quod nonnulli perperam exiſtimaverunt, cum nihil veret, ubi territorium ita ipſam ſuperioritatem territorialem allodii jure tenere, ut optimè docuit Eybenius *c. 6. Electorum Feudalium* §. 7. Hæ vero feudali jure deferuntur. Si quis autem ſpecialius illos modos acquirendi indagare velit, poterit eosdem cum Hugone Grotio partiri in Originarios & Derivativos. Ad Originarios pertinet Occupatio, ſub qua etiam continetur Præſcriptio, quatenus fundamentum in derelictione habet. Derivativi imprimis traditione perficiuntur, hæc verò, ſi ab eventu mortis dependeat, dicitur Succeſſio vel legitima vel teſtamentaria. Si inter vivos fiat, ex conventionibus Dominii translativis deſcendit; quo referas etiam Privilegia.



Digitized by Google

## §. XV.

Occupatio bellica ante pacem, quam vocamus publicam, haud dubiè inter licitos Superioritatem territorialem acquirendi modos eſt, nam Guerra Publica **eine offene Fehde** tum temporis, cum jus manuarium adhuc vigeret in Imperio, per LL. Imperii non injuſta habebatur. vid. Friderici I. Conſtit. *de Pace tenenda Anno 1187. Aurea Bulla Caroli IV. Tit. 15.* & *Reformatio Friderici III. Imperatoris Francofurti facta Anno 1443. ab initio.* Hinc in Comitiis Imperii Wormatienſibus *Anno 1495.* ſancitur, **daß alle Händel/ ſo ſich hievor in Vähden/ Kriegen oder Auffruhren begeben haben/ die rechtlich und gütlich hingeleget/ vertragen und vereiniget wären/ in dieſe Rechtfertigung nicht gezogen werden ſollen.** Conferatur **Handhabung des Land-Friedens zu Worms** *dicti anni in Receſſu Imperii* §. **Item als auch Wir.** Facta igitur tum Amneſtia, ut res manerent in quo erant ſtatu. A qua omnino differt Amneſtia poſt ferale illud tricennale bellum confecta, ut dejecti reſtituerentur, ſalvis juribus quibusque in petitorio competentibus. vid. *Pacis illius Inſtrumentum art. 2. & 3.* ut & Magnif. Dn. Hertii *Diſſertat. de Superioritate Territoriali. §. 60.*

## §. XVI.

An præſcriptione acquiri poſſit Exemtio, non minus eſt dubiũ, Multi enim id negant, adverſus Superioris poteſtatem omnem præſcriptionis operationem elanguere dicentes, usque adeo, ut nemo quantivis temporis beneficio

ficio de Principis ſui Superioritate liberetur. Ferdinandus Vaſquius *Illuſtrium Controverſiarum c. 2. n. 4. & c. 78. n. 4.* Andr. Gail. *l. 1. Obſervat. 21. n. 6.* Parlador. *l. 2. Rerum Quotidianarum c. 1. n. 15.* Albericus Gentilis *l. 3. de jure belli c. 2.* Georgius Acacius Enenckel *l. 2. de privilegiis jurium civitatis c. 5. n. 68.* conferantur Conſtitutio Imperatoris Friderici II. de Superioritate Imperi Romani relata à Goldaſto **in den Reichshandlungen** *fol. 19.* & Reſcripta Pontificum *in c. 12. X. de Præſcriptionibus* & in *c. 24. X. de Cenſibus.* Econtrario id affirmant Myleras *c. 100. de Principibus Imperii. §. 3. & 4.* Dn. Ludolphus Hugo *de ſtatu Regionum Germaniæ c. ultimo. §. 24.* Mihi ex LL. Imperii noſtri res plane videtur, utpote in quibus præſcriptio immemorialis legitimus Superioritatem territorialem, adeoque & Exemtionem acquirendi titulus eſſe, non uno in loco ſtatuitur. Videatur Receſſ. Imperii Auguſtan. §. **Wann auch** *56.* §. **Wo aber** *64.* Inſtr. Pacis *Oſnabrugenſ. art. 8. §. 4. art. 9. §. 2. art. 15. §. 2.* Capitulat. Leopoldina *art. 3.* Et huc pertinet, quod Iureconſulti Noſtri inter Brocardica habent ſua: Præſcriptionem immemorialem habere vim privilegii, vim conſtituti, vim tituli legitimè acquiſiti, vim conſuetudinis, vim expreſſæ conceſſionis etiam à Principe factæ, contractus, expreſſi pacti, donationis &c. id quod magno Dd. cumulo illuſtrat Dn. Harppr. *tractatione juridica de præſcriptione immunitatis à Collectis. c. 30.* Hinc cum Albertus Rex A. 1300. ab Epiſcopis Moguntino & Colonienſi telonia ad Rhenum repeteret, reſpondebant hi: *telonia noſtra longo tempore debitè accepimus & Anteceſſores noſtri longo tempore receperunt, & eos Reges Romani minimè turbarunt; unde & nos hæc telonia nolu-*

*nolumus voluntariè reſignare.* Ut memorat Autor Chronici Colmarienſis *part. altera ad dictum annum in Scriptoribus rerum Germanicarum Vrſtiſianis.*

## §. XVII.

Succeſſio teſtamentaria ad acquirendam exemtionem regulariter non valet, niſi regio ſit allodialis aut feudum, quo territorium tenetur, ſit merè hæreditarium, quo caſu an regionis Dominus ut teſtamentum ſubſiſtat ſolennitates jure Romano præſcriptas adhibere teneatur, multum ſolet diſceptari. Verior autem eſt affirmantium ſententia, quam in hac Academia quondam ex profeſſo defendit Illuſtris Eybenius *Diſſertatione de Teſtamento Principis vel Comitis S. R. J.* quæ extat inter *Exercitationes J. P. Fritſchianas part. 2.* Addantur quæ noviter diſſeruit Dn. Stryckius in *Tractatu de Cautelis Teſtamentorum c. 5. membr. 2.* De Succeſſione legitima non opus eſt hîc dicere, nec de pactitiâ, quæ olim frequentèr in Germania fuit uſurpata, ut teſtantur Pacta Confraternitatum, vulgò der Erbverbrüderungen & Ganerbinatuum, quoniam de his non tantum Publici ſed & Privati Juris Doctores multa ſolient tradere.

## §. XVIII.

Alienatio ſimiliter ad Exemtionem proficere poteſt, ſi regio jure habeatur allodiali, aut ſi Imperator id indulſerit. Quem conſenſum Carolus IV. *in Aurea Bulla tit. 10.* Regi Bohemiæ & Electoribus ſingulis dedit, ud poſſint

poſſintquaſcunque terras, caſtra, poſſeſſiones ſive bona emere, comparare, in donum aut obligationem accipere, ſalvo tamen jure Imperii. Obſervandum vero eſt, alienata regionis particula, v. g. oppido, caſtro, vico &c. cum juribus ſuis & jurisdictionibus, non intelligi ſimul translatam Superioritatem Territorialem: hæc enim particulis non inhæret, niſi paſſivè, præſertim cum recepta in ſummis Imperii Tribunalibus ſit regula: Jus territorii generali conceſſione non venire, & ſuperioritatem territorialem etiam in conceſſione generalioribus verbis facta exceptam ſemper intelligi, videatur Beſold. *in Conſil. 275.* Zaſius *in Epitome Feudorum part. 5.* Michael *de jurisdictione §. 64.* Rulantus *part. 1. de Commiſſariis l. 3. c. 10. n. 12. & ſeqq.* Carpz. *de L. Regia c. 13. ſect. 3. n. 17.* Sixtinus *l. 1. de Regalibus c. 5. n. 3. & ſeqq.* Zieglerus *l. 1. de Juribus Majeſtatis c. 29. §. 40.* Unde etiam rectè dicimus, licet clauſula in inveſtituris **mit allen Herrlichkeiten** fuerit adhibita, non tamen propterea Superioritatem Territorialem translatam cenſeri, quod ſolidè Paurmeiſterus *l. 1. de jurisdiction. c. 4. n. 10.* Klockius *in Conſil. 3. poſt Tractatum de Contributionibus*, evicerunt, quibus poterit addi Knipſchild. *de Obligatione Vaſalli erga Dominum part. 2. quæſt. 1. n. 229.* ubi agit de regalibus nominatim conceſſis, additâ clauſula, **mit allen andern.**

## §. XIX.

Poſtremum quid Privilegia Cæſarea hîc poſſint videamus, ubi diſtinguendum mihi videtur, an privilegium exemtionis fuerit datum, antequam Superioritas Territo-



Digitized by Google

rialis invaluit, an poſtquam. Illa jam vim & valorem habuit. Priori caſu haud dubiè Privilegia Cæſarea ad exemtionem etiam plenam valere potuerunt. Exemplo poſſunt eſſe Civitates Imperiales, quarum plurimas jam ſub Saxonicis Imperatoribus Ducibus aut Comitibus ſubtractas & in plenam libertatem aſſertas eſſe, jam ſuprà docuimus. Nec poſtea id rarum fuit, ſic poſt proſcriptionem Henrici Ducis Saxoniæ Lubecam numero Civitatum Imperialium adſcripſit Fridericus I. Imperator. Atque hæc exemtio etiam tum contigit, quando Civitas à Ducum vel Comitum ditione liberata Epiſcopo ſubdebatur: mitia enim tum temporis Epiſcoporum erant imperia, adeoque Epiſcopo ſubjici, perinde erat ac libertatem nanciſci. Probant hoc duo inſignia loca, quorum unus eſt apud Adamum Bremenſem *l. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 1. Adaldagum primò ut ingreſſus fuerat Epiſcopatum* (Bremenſem) *Bremam, longo tempore poteſtatibus ac judiciaria manu oppreſſam, præcepto Regis abſolviſſe & inſtar reliquarum Vrbium immunitate ſimulque libertate feciſſe donari.* Vixit autem Adaldagus ille temporibus trium Ottonum, à quorum latere divelli non potuit, unde magnum Eccleſiæ ſuæ paravit lucrum, prout loquitur Albertus Stadenſis *ad A. 954.* Alter locus eſt de Civitate Wormatienſi, de qua, poſtquam Epiſcopo fuit commiſſa, verſus leguntur apud Ditmarum *l. 5. Chronici.*

*Vrbs Wormatienſis gaudet temporibus iſtis libertate.*

Quæ cauſa eſt haud dubiè genuina, quare Civitates Epiſcopa-

ſcopales dictæ fuerint **Freye Reichsſtädte**/ reliquæ vero **Reichsſtädte** tantum, ut docuit Magnif. Dn. Hertius in Diſſertat. *de Specialibus Rom. Germanici Imperii Rebuspublicis &c. ſect. 1. §. 7.* Licet autem poſtea Civitates hujusmodi Præfectos habuerint Imperiales vulgo **Reichs-Vögte/ Reichs-Schultheiſſen** / aut etiam Burggravios, non tamen eo ipſo deceſſiſſe eis Superioritatem Territorialem, planè ut Comitibus etiam non nocuit Comites alios ſcilicet Palatinos in ſuis habuiſſe Comitatibus, quorum proinde Comitum Palatinorum ditio vocabatur Comitia, ipſorum autem Comitum regio Comitatus dicebatur, ut innumeris chartis demonſtrari poteſt. Nam errat omninò du Freſne *in Gloſſar. voce Comitia,* Comitatum & Comitiam pro ſynonimis habens. Vid. inſignis locus apud Franciſcum Guillemannum *l. 4. Rerum Habſpurgicarum c. 1.* quem Magnificus Dn. Hertius *in Commentatione de Conſultationibus, Legibus & Judiciis &c. §. 19.* refert. Atque hinc etiam explicandum eſt Rudolphi I. Privilegium de Comitia Burggraviæ Norimberg. apud Limn. *tom. 1. addit. p. 745.* quam Comitiam Carolus IV. in Aurea Bulla extulit, *dignitatem & honorem Officii Burggravii* : Quod nunc pluribus excutere non vacat, præſertim cum publica hanc in rem extant ſcripta. Ex his autem ſimul intelligimus, quam inique Superioritatem Territorialem Civitatum Imperialium oppugnaverit Andr. Knichen varii generis opuſculis, cui ſilentium impoſuit Inſtr. Pacis Oſnabr. *art. 8. §. tam in univerſalibus.* Conferatur *art. 5. §. 28.* & quæ prolixè ac ſolidè diſſeruit Knipſchild. *l. 2. de jure Civitatum Imperialium c. 5.* Iidem Knicheno etiam in eo aſſentiri non poſſum *c. 5. de Jure terri-*

*ritorii n. 127.* aſſerenti, Noricis quondam in Camera Imperiali litem de territorio motam & deciſam fuiſſe, cum potius illa de turbationibus Noricorum quoad merum imperium, **der hohen Fraiſchlichen Obrigkeit**, in certis quibusdam denominatis locis agitata, & ſententia lata, ſine mentione territorii ullâ, petitis conformis fuerit. Quantum vero attinet juniora Cæſarum Privilegia, cum jam Superioritas Territorialis ad maturitatem pervenit ſuam, jam ſuprà diximus Imperatores privilegiis ſuis regionum Dominorum juri quæſito præjudicium inferre haud potuiſſe.

## §. XX.

Effectus territorii exemti haud dubie eſt, quod non cenſeatur eſſe de illa Provincia, in qua ſitum eſt. Unde à Dd. communiter traditum eſt, Conſtitutiones, Conſuetudines, Leges & Statuta Regni, Ducatus vel Comitatus, non habere locum in locis ſive caſtris exemtis in illo Regno, Ducatu vel Comitatu ſitis, ſed in illis locis exemtis ſervandas eſſe Leges, Conſuetudines atque Conſtitutiones loci dominantis, ſive illius loci, ad quem locus exemtus pertinet. Quam in rem magnum Auctorum cumulum congeſſit Ludolphus Schraderus *ſecunda part. de feudis nonæ part. pr. ſect. 3. n. 157.*

## §. XXI.

Igitur exemtus ille in territorio exemto jura ſuperioritatis omnia exercebit, idque vel plenè, vel minus plenè, prout nimirum exemtio fuit acquiſita: Nam Superioritas Territorialis interdum minus plena eſt, ut benè docuit Dn. Schilterus *l. 1. Inſtit. J. P. tit. 24. §. 3.* Unde vero æſtimari debeat plena illa & perfecta Superioritas Territoria-

torialis controverſum eſt. Vulgò provocari ſolet ad vulgatum illud Axioma: Principem tantum poſſe in ſuo territorio, quantum Imperator in Imperio, de quo videatur Eybenius *in peculiari Diſſertatione* inſerta Exercitationibus Juris Publici Fritſchiaius *part. 2.* Cæſarinus Furſtenerius *de jure Supreſmatus c. 13. ſub finem.* Klockius de *Contributionibus. c. 4. n. 142.* & *143.* ubi Caſtrenſem primum fuiſſe effati hujus architectum aſſerit. Mylerus *de Principibus & Statibus Imperii c. 14. n. 8.* Magnif. Dn. Chriſtophorus Pellerus *in Notat. ad Klockii Tractatum de Ærario lib. 1. c. 4. n. 118. (194.)* Ex quorum traditis etiam intelligitur, non omnibus Brocardicon hocce probari. Et ſanè non conſtat, de veteri an de nova Imperatorum poteſtate loquatur: deinde Imperator LL. Fundamentalibus eſt adſtrictus, maxima autem pars Principum & Comitum nullas à ſubditis ſuis LL. accipiunt. Quare nonnulli id ita admittendum exiſtimant, ſi intelligatur non de æqualitate poteſtatis ſed de analogia ſive ſimilitudine regiminis. Conſtat enim regionum dominos olim imprimis gubernationem regionum ſuarum ad formam gubernationis Imperatoriæ in Imperio conformaſſe, ut egregiè oſtendit per præcipuas Reipublicæ partes incedens Illuſtris Ludolphus Hugo *de Statu Regionum Germaniæ c. 4.* Vid. Magnifici Dn. Hertii *Diſſertatio de Superioritate Territoriali* §. *10.* ubi & alia deducendorum Superioritatis Territorialis jurium principia examinantur. Pedem hîc nunc figere libet, & quæ intacta à me relicta fuere, aliis majori experientia ſubſidiiſque doctrinæ inſtructis excutienda relinquam.

# COROLLARIA.

I.

*Procurator & Mandatarius differunt.*

II.

*Mandatarius negotium ſibi commiſſum per æquipollens expedire poteſt, non idem dicendum de Miniſtro Reipublicæ.*

III.

*Caſus Mandatarii ad mandantem non pertinet.*

IV.

*Quod mandatarius præter vel contra mandantis voluntatem accepit, reſtituere tenetur.*

V. *So-*

Digitized by Google

V.

*Societas etiam facto contrahi poteſt, licet ſit univerſalis.*

VI.

*In ſocietate univerſarum fortunarum, quæ ſpecialiter inita dicitur, erogatio ſociorum poteſt eſſe inæqualis.*

VII.

*In eadem illâ ſocietate lucrum & damnum eſt æquale, licet inæqualis ſit collatio.*

VIII.

*Si ab uno ſociorum res ab altero operæ præſtentur, res tantum ratione uſus communicata cenſetur, & proinde finita ſocietate conferenti tota eſt reſtituenda.*

IX.

*Hinc conferens ſocius rei illius ſuſtinet periculum.*

X.

*Beneficium Competentiæ etiam certæ rei vel negotiationis ſocii habent.*

XI. *Si*

Digitized by Google

XI.

*Si ſocii per unum ſociorum contrahant velut Inſtitorem, qui vulgò dicitur* Nahmen-Träger/ *ſoli contrahenti regulariter acquiritur actio, ſocii vero ſinguli in ſolidum conveniuntur.*

XII.

*Culpa levis in ſocietate intelligitur in concreto.*

VD11521083

Digitized by Google